

De principio identitatis comparatae et mysterio SS. Trinitatis secundum Concilium Lateranense IV

Principio identitatis comparatae affirmatur quae sunt eadem uni et eidem esse etiam inter se eadem.

Quid potest esse unum et idem cum aliquo? Sensu stricto seu simpliciter nihil nisi ipsum. Nihilominus aliquid idem esse potest etiam cum aliquo cum quo non est simpliciter unum idemque. Ita homo simpliciter idem est cum corpore humano informato anima rationali, sed neque cum anima neque cum corpore. Sed aliquo modo etiam cum anima et cum corpore idem est; secus cum corpore informato anima rationali non posset esse simpliciter idem. Nihil tamen idem esse potest cum aliquo sub eo respectu, sub quo realiter ab eo distinguitur. Nam identitas et distinctio, quae eorundem sint sub eodem respectu, mutuo se excludunt. Hinc si aliqua secundum realitatem realiter ab invicem distinguuntur, ut corpus et anima in homine, secundum realitatem nequeunt esse eadem. Sed neque cum utroque eorum quae *ab invicem* realiter secundum realitatem distinguuntur aliquid unum et idem esse potest. Sint ex. gr. Aa et Ab ab invicem ita distincta. Si dein assereretur utrumque esse idem cum eodem A, assereretur aliquid quod esse non potest. Sequeretur enim A esse Aa et non esse Aa. A esset Aa ex suppositione facta. Sed ex eadem suppositione esset etiam Ab quod non est Aa; ergo etiam A cum quo Ab est idem non esset Aa. Quae dicta sunt valent, si Aa et Ab sub eo respectu sub quo ab invicem secundum realitatem distinguuntur eadem esse dicuntur cum uno et eodem A vel si aliquid sub eo respectu unum et idem dicitur cum iis quae sub eodem respectu ab invicem secundum realitatem distinguuntur. Quia homo constat corpore et anima quae realitate sua ab invicem realiter differunt, propterea homo neque cum corpore, neque cum anima simpliciter idem esse potest. Sed quae inter se aliquo modo, sed non aliqua realitate distinguuntur, etiam cum uno et eodem secundum realitatem idem esse possunt. Persona secundum multorum sententiam a propria natura non realiter

distinguitur, sed eadem realitas quae est natura est etiam persona. Sunt igitur persona et natura secundum realitatem unum et idem. Sed non sunt unum et idem simpliciter. Hoc constat ex mysteriis Trinitatis et Incarnationis. Et etiam independenter ab his mysteriis aliter loquimur de natura et aliter de persona. Persona dicitur habere naturam, sed natura non dicitur habere personam. Dicimus plures personas convenire in eadem natura seu habere eandem naturam, sed non dicimus plures personas esse eandem personam. Ut substantia singularis completa rationalis naturae quae in se et ad se est, sit etiam persona, ulterius requiritur, ut ita in se et ad se sit, ut sit nullius alterius seu sit incommunicabilis et sui iuris. Hinc licet natura et persona secundum realitatem sint unum et idem, tamen non sunt simpliciter idem, sed aliquo modo distinguuntur.

Quando igitur de identitate aliquorum agitur, videndum est, utrum agatur de identitate quae simpliciter talis est an de identitate quae non est simpliciter talis.

Praeterea etiam attendendum est ad naturam eorum quae cum uno et eodem eadem esse dicuntur. Si *relativum* cum absoluto comparatur, eius identitas cum absoluto nequit esse eadem atque identitas absoluti cum absoluto. Absolutum cum absoluto simpliciter idem esse potest, sed relativum non. Nihilominus etiam relativum aliquo modo idem esse potest cum absoluto, quia etiam relativum aliquid in se et ad se et sub hoc respectu absolutum est. Si *relationes* cum absoluto comparantur, cum eo, ut est absolutum, nullo modo idem esse possunt, quia absolutum ut absolutum omni relatione caret; sin autem cum relativo comparantur, cum eo aliquo modo identificari possunt, quia relativum formaliter relativum est relatione. Sed neque cum relativo relatio simpliciter idem esse potest; nam relativum non tantum est habitudo unius ad aliud, sicut relatio, sed est etiam aliquid in se et ad se.

His de ipsa identitate aliquorum praemissis iam transeamus ad considerandum principium identitatis comparatae. Ac primum quidem animadvertendum est, si de vera identitate aliquorum quae sit in ordine rerum agitur, non recte illud principium exprimi, si dicitur: quae sunt eadem uni et eidem *tertio*, sunt etiam eadem inter se. Si illud unum et idem, cum quo aliqua eadem esse dicuntur, revera tertium aliquod est, quod igitur duo alia ab ipso et ab invicem realiter distincta supponit, impossibile est, ut haec tria sint unum et idem. Sed illa duo sicut inter se distinguuntur, cum sint duo, sic etiam distinguuntur ab eodem tertio. Utique duo quae inter se realiter distinguuntur et sunt

revera duo, tamen cum uno et eodem et sic etiam inter se *aequalia* esse possunt, ut duo corpora ratione ponderis vel magnitudinis vel formae inter se aequalia esse dici possunt, quia sunt aequalia uni et eidem tertio; sed *eadem* et multo minus *simpliciter eadem* esse non possunt. Ut igitur principium identitatis recte exprimatur, dicendum est: Quae sunt eadem *uni et eidem* sunt etiam eadem inter se.

Per se patet vi principii identitatis non maiorem identitatem aliquorum inter se affirmandam esse quam est eorum identitas cum uno et eodem. Hinc si aliqua cum uno et eodem non simpliciter eadem sunt, neque inter se vi principii identitatis simpliciter eadem esse debent. Et anima et corpus identificantur cum homine, sed non simpliciter, quia homo neque est solum anima neque solum corpus. Hinc vi principii identitatis anima et corpus neque inter se simpliciter idem esse debent. Relativum, ut dictum est, aliquo modo idem esse potest cum absoluto; sed simpliciter idem cum eo dici non potest. Quare si plura relativa eadem esse dicuntur cum uno et eodem absoluto, vi principii identitatis dici nequeunt esse simpliciter eadem inter se.

Praeterea identitas aliquorum inter se vi principii identitatis asseri nequit, nisi illud, cum quo dicuntur esse eadem, sit stricte unum et idem. Supponamus aliqua dici eadem esse cum homine. Si unum idem est cum homine secundum corpus, aliud idem cum eo secundum animam considerato, inde nihil pro eorum identitate inter se sequitur, quia non est unum et idem cum quo dicuntur esse eadem; potius sequeretur ea esse ab invicem secundum realitatem distincta, sicut realitas corporis alia est atque realitas animae.

Ut igitur ex identitate aliquorum cum uno et eodem ad eorum identitatem inter se quae *simpliciter* talis sit concludi possit, duae condiciones impletae esse debent. Prima est, ut illud cum quo dicuntur esse unum et idem, sit *stricte* unum et idem. Secunda est, ut ea quae dicuntur esse eadem cum uno et eodem, *simpliciter* cum eo sint unum et idem. Cum hae condiciones ex ipsa natura rerum de quibus agitur sequantur, in omni applicatione principii identitatis impletae esse debent. Si neutra vel etiam una tantum non impletur, vi principii identitatis pro identitate eorum quae dicuntur eadem cum uno et eodem nihil sequitur.

Etiam si non agitur de identitate quae simpliciter sit talis, sed tamen de identitate aliqua, id cum quo aliqua eadem esse dicuntur, sensu stricto unum esse debet. Ea autem quae cum uno et eodem eadem esse dicuntur, ab eo sub eodem respectu sub quo dicuntur eadem non debent distingui. Ut vi principii identitatis affirmari possit aliqua

inter se eadem esse secundum realitatem, debent praecise secundum realitatem eadem esse cum uno et eodem.

His explicatis iam quaerendum est, possitne principium identitatis comparatae etiam ad Deum et imprimis ad sanctissimam Trinitatem applicari. Ut notum est, sunt qui putent id ad mysterium Trinitatis applicari non posse, quia sic distinctio realis personarum salva consistere non posset. Sed magisterium ecclesiasticum non quidem dixit id etiam ad mysterium Trinitatis applicari posse, sed de facto id applicasse videtur.

Omnibus theologis nota sunt duo decreta Concilii Lateranensis IV quae caput *Firmiter* et caput *Dammamus* vocantur. Prius (Denz. 428) est professio quaedam fidei in qua Ecclesia fidem suam profitetur in unum Deum qui tamen est tres personae ab invicem eo distinctae, quod Pater est a nullo, Filius a Patre solo et Spiritus Sanctus ab utroque, Pater generans, Filius nascens et Spiritus Sanctus procedens. Alterum decretum, caput *Dammamus* (Denz. 431.432), damnationem continet alicuius tractatus abbatis Ioachim in quo Petrum Lombardum haereticum vocaverat, quia in *Sententiis* suis dixerat: «quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus et illa non est generans neque genita neque procedens»¹. Secundum abbatem autem, ut Concilium ipsum eius errorem exponit (Denz. 431), nulla res est quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus nec est substantia nec essentia nec natura, quamvis concedat, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint una essentia, una substantia, una natura. Sed, ut addit Concilium, haec unitas non est unitas vera et propria, sed quasi collectiva et similitudinaria, sicut multi homines unus populus et multi fideles una Ecclesia sunt.

Respectu habito ad errorem abbatis Ioachim Concilii esse debebat docere, quae sit vera unitas in tribus personis ss. Trinitatis. Distinctionem personarum divinarum abbas non negaverat, immo exaggeraverat ita ut tritheismum quendam doceret; propterea pro Concilio nulla erat necessitas, ut in ea insisteret eamque probaret.

Concilium doctrinam impugnatam Magistri suam facit. Dicit enim (Denz. n. 432): «una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae ac sigillatim quaelibet earundem. Et ideo in Deo solummodo trinitas est, non quaternitas (quam abbas ex doctrina

¹ PETRUS LOMBARDUS, *Liber Sententiarum*, l.I dist.4 c.4. n.52 et dist.5 c.I n.58, ed. Quaracchi p.40.44.

Magistri sequi affirmaverat), quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina». Ex hac definitione habemus 1.º summam illam rem quae dicitur esse Pater et Filius et Spiritus Sanctus non esse nisi unam; 2.º summam hanc rem esse simul tres personas divinas; 3.º hanc rem esse etiam sigillatim quamlibet earundem; et 4.º quamlibet trium personarum divinarum esse illam rem.

Qui negat esse unam quandam rem quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, concedit autem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unam rem, i.e. essentiam, substantiam seu naturam divinam, illud prius fortasse non negat nisi ex rationibus mere dialecticis, cum natura praedicanda sit de persona, non vero persona de natura. Posse hic haberi aliquam difficultatem etiam ex iis deduci potest quae S. Thomas in 1 dist. 4 q.2 art.2c dicit. Concedit enim verum esse, quod quantum ad modum significandi plus habet de proprietate propositio in qua praedicatur essentia quam in qua praedicatur persona, cum praedicatum se habeat loco formae. Sed si non est nisi una res et omnes tres personae, omnes simul et sigillatim quaelibet earundem, haec una res sunt, nihil obstat, quominus etiam dicatur una illa res esse tres personae et sigillatim quaelibet earundem. Utique dici non potest: Petrus est homo et homo est Petrus, quia sunt homines qui non sunt Petrus. Sed si non esset homo nisi unus Petrus, aequè dici posset: Petrus est homo et homo est Petrus, sicut etiam dici potest: Petrus est hic homo et hic homo est Petrus. Qui non admittit in Deo nisi unitatem collectivam, aliquo vero sensu dicere potest: tres personae sunt una essentia, sicut etiam una essentia est tres personae, sed non potest concedere quamlibet trium personarum esse illam essentiam et hanc essentiam esse quamlibet trium personarum sigillatim. Tres personae possunt dici una familia et una familia dici potest pater et mater et filius simul sed neque est pater neque mater neque filius, sicut nulla harum personarum pro se sola est familia. Familia aliqua componitur pluribus personis determinatis, essentia autem divina non personis divinis componitur, sed est quaelibet personarum divinarum. Neque tamen essentia divina dici posset esse simul tres personae et sigillatim quaelibet earundem, nisi realitas trium personarum simul sit eadem atque realitas cuiuslibet personae. Et hoc ita est. Nam quaelibet trium personarum est illa res et illa res est tres personae. Cur propterea non dicendum sit quamlibet personam esse etiam tres personas ex postea dicendis apparebit. Iam hic notandum est Concilium loqui de identitate inter unam *rem* quae est essentia, substantia seu

natura divina et tres *personas*. Non dicit unam essentiam esse tres essentias neque tres personas esse unam personam.

Concilium etiam alteram sententiam Magistri, quam abbas Ioachim impugnaverat, suam facit. Dicit enim: «Et illa res non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura.» Hinc personae non solum distinguuntur inter se (realiter), sed etiam aliquo modo distinguuntur ab eadem essentia divina cum qua tamen identificantur. De personis enim aliqua affirmari possunt, ut generare, gigni et procedere quae de essentia neganda sunt. Idem autem de eodem sub eodem respectu considerato affirmari et negari non potest. Etsi igitur Concilium data opera non explicet, qualis sit distinctio inter personas divinas et personas et communem essentiam, tamen non affirmat talem identitatem inter personas et essentiam quae simpliciter sit talis. Pro scopo autem suo Concilium pergit explicare, quae sit unitas personarum divinarum distinctione reali earum supposita. Dicit enim: «Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud; sed id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino, ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur.» Consubstantialis hic eundem sensum habet atque in Concilio Nicaeno I, quando Filius dicitur consubstantialis Patri (Dz 54), non cum quem habet in Concilio Chalcedonensi, quando Dominus noster Iesus Christus consubstantialis dicitur nobis secundum humanitatem (Dz 148). Nam propterea personae divinae consubstantiales vocantur, quia id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino. Etsi igitur personae divinae inter se ita distinguuntur, ut alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, tamen inter se non aliud sunt, sed idem omnino. Hinc personae divinae una res sunt, sicut etiam una res est tres personae divinae.

Esse revera id quod est Pater etiam Filium et Spiritum Sanctum Concilium explicite pro Filio eo probat, quod Patrem dicit substantiam suam totam et sine diminutione communicare cum Filio, ita tamen, ut eam etiam ipse retineat. «Pater enim, ait, ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit iuxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi maius omnibus est*». Quantum Concilii intersit identitatem Patris et Filii in eadem substantia inculcare, inde apparet, quod expresse duas falsas interpretationes communicationis substantiae divinae excludit. Prima aliqua esset dicere Patrem non communicare substantiam suam totam et indivisam, sed partem dumtaxat ita, ut aliam partem sibi ipse retineat; altera esset Patrem communicare quidem cum Filio totam

substantiam, sed ita ut eam in Filium transferat non retinens eam sibi ipsi. Propterea dicit: «Ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit et partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi; alioquin desiisset esse substantia». Si autem Pater suam substantiam totam et sine ulla diminutione ita cum Filio communicat, ut etiam ipse eam retineat, vere cum Concilio dici potest: «Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius habent eandem substantiam». Et quia Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, Pater et Filius etiam cum ipso suam substantiam communicant; quare etiam dici potest: Et sic eadem res est Pater et Filius nec non et Spiritus Sanctus ab utroque procedens.

Sunt igitur personae divinae una eademque natura divina seu eadem natura divina est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quia vi duarum communicationum naturae divinae eadem natura quae est Patris est etiam natura Filii et Spiritus Sancti. Et sic etiam dici potest: quia omnes tres personae divinae una et eadem natura divina sunt vel cum ea identificantur, propterea etiam inter se consubstantiales sunt, seu id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino. Hoc autem nihil aliud esse videtur quam applicare principium identitatis.

Sive aliquis concedit Concilium de facto applicare principium identitatis ad Trinitatem sive id non concedit, tamen concedere debet ex applicato principio identitatis non oriri maiorem difficultatem contra distinctionem personarum divinarum quam oritur ex doctrina Concilii. Ex duabus enim sententiis Concilii quibus dicit: Una quaedam summa res est quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae et sigillatim quaelibet earundem, et ex illa alia: Quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina, sequi videtur quamlibet trium personarum esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres simul personas et sigillatim quamlibet earundem.

Haec difficultas, sicut omnes aliae, quae contra mysterium ss. Trinitatis exurgere possunt, sicut ex iis quae revelata sunt oriuntur, ita etiam ex iis solvendae sunt. Cum independenter a revelatione de trinitate personarum divinarum nihil sciamus, revelatio autem nullum errorem vel aliquid quod veritatibus naturaliter certis adversetur continere possit, nihil aliud nobis incumbit, nisi ut ea quae revelata sunt accurate exponamus.

Ac primum quidem nullum dubium esse potest, quin Concilium

confiteatur tres personas divinas esse, quae vere ab invicem realiter distinguuntur, sicut pater distinguitur a filio suo. Non solum Concilium dicit summam illam rem quae est natura divina esse tres simul personas, sicut etiam quamlibet earundem, non solum identidem loquitur de Patre, Filio et Spiritu Sancto, sed etiam expressis verbis dicit alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum.

Sed haec distinctio realis personarum divinarum recte intellegenda est. Cum quaelibet persona divina sit essentia divina, personae divinae essentia sua seu eo quod sunt distingui non possunt. Sed neque distingui possunt alia aliqua realitate quae ab essentia divina sit realiter distincta et singulis personis exclusive propria. Nam essentia divina quae secundum Concilium est simplex omnino, etiam hoc sensu simplex est, ut omnem compositionem cum re a se realiter distincta excludat. Unica realitas quae est in personis divinis est realitas essentiae divinae et haec eadem est in omnibus tribus personis. Dicere personas divinas ab invicem aliqua realitate distingui esset etiam contra principium identitatis. Nam quae ab una et eadem re non aliqua realitate distinguuntur, sed realitate sua cum ea eadem sunt, neque inter se aliqua realitate distingui possunt, quia unum et idem, ut initio diximus, cum pluribus quae inter se realitate aliqua distinguuntur, unum et idem secundum realitatem esse non potest.

Sed licet distinctio realis generatim sic intellegi soleat, ut sit distinctio inter rem et rem (etsi non necessario inter substantiam et substantiam), tamen de se nihil aliud dicit, nisi unum independentem a mentis consideratione non esse aliud. Per quid in rerum natura ab invicem realiter differant, per se non dicitur. Patet quae secundum realitatem ab invicem distincta sunt esse etiam independentem a mentis consideratione seu realiter distincta, quia independentem a mentis consideratione una res non est alia. Sed quaeritur, nonne aliqua etiam sic independentem a mentis consideratione seu realiter distingui possint quae non aliqua realitate distinguuntur.

Non possent personae divinae ab invicem realiter distingui, si cum essentia divina cum qua eadem sunt simpliciter eadem essent. Tunc sicut non est nisi una essentia divina, sic etiam non esset nisi una persona. Sed personae divinae non sunt simpliciter eadem cum essentia divina. Etsi Concilium pro scopo suo non insistat in distinctione personarum probanda, tamen varia docet ex quibus apparet personas divinas et essentiam divinam non simpliciter esse unum idemque. Quando Concilium dicit unam quandam summam *rem* esse quae sit tres personae et quamlibet trium personarum esse illam *rem*, i.e. substantiam, essentiam seu naturam divinam, istam *rem* seu naturam divinam

a personis divinis aliquo modo distinguit. Dicit enim: Et illa *res* non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Si autem essentia et personae simpliciter unum et idem essent ita ut essentia et persona non sint nisi diversa nomina pro eadem omnino re, non recte aliquid affirmaretur de personis quod negatur de natura. Hinc neque implicite ex identitate personae et naturae sequitur unam personam esse tres personas. Cum igitur nulla persona cum essentia divina simpliciter sit eadem neque vi principii identitatis sequitur personas divinas inter se simpliciter esse easdem vel unam et eandem.

Sed aliud est personas divinas non esse simpliciter inter se easdem et aliud eas ab invicem distingui realiter. Hoc non immediate ex eo sequitur, quod non simpliciter eadem sunt. Licet essentia divina et personae divinae non sint simpliciter unum idemque, tamen essentia a personis non distinguitur realiter, quia quaelibet persona est essentia divina. Cur igitur personae divinae ab invicem distinguuntur realiter?

Vi principii identitatis distinctio realis personarum divinarum probari nequit. Et ratio est obvia. Est enim principium identitatis, sed non distinctionis. Possumus vi huius principii ostendere, quae sit identitas personarum divinarum inter se et sic etiam excludere identitatem quae simpliciter sit talis, quia personae divinae neque cum eadem essentia simpliciter eadem sunt. Sed quanta si distinctio personarum divinarum ab invicem vi huius principii determinare non possumus. Neque hoc opus est. Sufficit, ut principium identitatis reali earum distinctioni non obstet. Distinctio ipsa probanda est ex revelatione. Probatur autem duabus communicationibus naturae divinae quas Concilium secundum revelationem docet. Concilium ipsum quidem iis non probat nisi tres personas habere unam et eandem essentiam seu id quod est Pater esse etiam Filium et Spiritum Sanctum idem omnino. Sed iis etiam probatur esse tres personas ab invicem realiter distinctas.

Persona est substantia singularis completa rationalis naturae quae ita in se et ad se est, ut sit incommunicabilis. Quam primum igitur aliqua talis substantia est incommunicabilis, est etiam persona et si eadem essentia tribus diversis modis incommunicabilis est, est etiam tres personae. Duabus autem communicationibus naturae divinae fit, ut eadem essentia divina quae uno modo incommunicabili est in prima persona duobus aliis modis diversis, sed etiam incommunicabilibus, sit in secunda et tertia persona. Prima persona divina naturam divinam habet a se seu a nullo seu sine origine, secunda et tertia eam habent, quia cum iis communicatur. Sed non idem est habere naturam divinam ut

non communicatam et eam habere ut communicatam et iterum aliud est habere eam ut communicatam et communicandam et aliud eam habere ut communicatam tantum. Sed illi modi non solum diversi, sed etiam incommunicabiles sunt. Nam nulla communicatione fieri potest, ut essentia quae ex. gr. in prima persona est ut non communicata, sit eodem modo etiam in alia persona et sic de aliis modis.

His tribus modis propterea etiam fit, ut essentia divina, *in quantum hoc vel illo modo adest*, sit omnino incommunicabilis. Essentia quae est in Patre communicari potest et revera communicatur, sed essentia, *ut est in Patre*, communicari nequit. Essentia autem quae modo incommunicabili existit, existit ut persona et cum essentia divina tribus modis sit incommunicabilis, est tres personae. Cum sin tres, etiam ab invicem realiter distinguuntur. Non distinguuntur quidem aliqua realitate, sed solum, ut personae sunt, seu diversis modis habendi eandem naturam divinam.

His tribus diversis modis habendi essentiam divinam etiam fit, ut essentia divina quae ut talis est res omnino absoluta, sit tribus diversis modis relativa seu ut personae divinae non personae absolutae, sed relativae sint. Nam omnes isti modi nihil aliud sunt nisi relationes vel principii vel procedentis a principio. Et in Patre quidem nulla est relatio procedentis a principio, cum ipse sit a se seu a nullo; sed cum naturam divinam quae est tripersonalis non habeat exclusive pro se, sed ut necessario communicandam cum Filio et Spiritu Sancto, propterea habet eam cum relatione principii qua refertur ad Filium et Spiritum Sanctum. Filius naturam divinam habet ut communicatam a Patre et ut communicandam cum Spiritu Sancto, hinc cum relatione procedentis a Patre ut suo principio et simul cum relatione principii relate ad Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus naturam divinam habet ut communicatam a Patre et Filio ut suo principio, hinc cum relatione procedentis a principio. Propterea quaestio de identitate personarum divinarum cum eadem essentia et distinctio earum inter se etiam sic exprimi potest, ut dicantur tres relativi (personae divinae) identificari cum uno absoluto (essentia divina). Utrum unum et idem absolutum, ut est essentia divina, tribus modis relativum esse possit, neque affirmare neque negare possumus.

Sed si ita est, tres isti relativi cum eodem absoluto nequeunt simpliciter identificari, quia relativum non est simpliciter absolutum, cum contradictoria sint habere relationem et non habere. Hinc neque vi principii identitatis sequitur tres istos relativos simpliciter inter se identificari.

Neque quidquam iuvat dicere personas divinas istis modis ab invi-

cem realiter distingui non posse, cum ipsi modi ab invicem non differant. Cum enim ab eadem essentia divina non differant, quippe cum qua identificentur, vi principii identitatis etiam inter se identificari dicendas esse seu ab invicem non realiter distingui.

Esse tres illos modos revera ab invicem realiter distinctos, invicte sequitur ex duabus communicationibus naturae divinae. Nam sine dubio aliud est habere naturam divinam ut non communicatam sed communicandam et aliud eam habere ut communicatam, et iterum aliud et aliud eam habere ut communicatam et communicandam et ut communicatam tantum. Sed neque vi principii identitatis aliud dicendum est. Diversi isti modi non sunt modi absoluti, sed relationes originis sive principii sive procedentis a principio. Si igitur tres illi modi habendi essentiam divinam iidem inter se esse dicuntur, cum iidem sint cum eadem essentia, supponitur posse relationes istas simpliciter identificari cum aliquo absoluto; nam essentia divina ut talis omnino absoluta est. Sed relatio cum re absoluta numquam simpliciter eadem esse potest. Nam relatio nihil aliud est nisi habitudo unius ad aliud, absolutum autem est aliquid quod in se et ad se est, et si est pure absolutum sicut essentia divina, omnem omnino relationem excludit. Hinc fieri nequit ut relationes personarum divinarum et essentia divina simpliciter identificentur. Simpliciter relationes divinarum personarum non identificantur nisi secum ipsis et sic neque cum personis quarum relationes sunt; nam personae divinae non sunt solum relationes, sed imprimis sunt substantia, cum quaelibet trium personarum, ut ait Concilium, sit illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina. Substantia autem non simpliciter relatio est. Deficiunt igitur ambae condiciones sine quibus impletis ad identitatem aliquorum quae simpliciter sit talis concludi non potest. Non est stricte unum et idem cum quo relationes personarum divinarum identificantur, cum non identificentur nisi cum personis divinis; hae autem sunt tres ab invicem realiter distinctae. Neque cum personis identificantur simpliciter.

Quia haec ita sunt, propterea neque recte diceretur personas divinas ab invicem propterea non posse realiter distingui, quia ab eadem essentia divina non realiter distinguuntur; nam non posse ab invicem maiore distinctione distingui quam distinguuntur ab una et eadem re, i.e. ab eadem essentia divina. Personae divinae ab essentia divina utique realiter distingui non possunt, quia quaelibet trium personarum divinarum est essentia divina, et licet nulla persona sit simpliciter essentia divina ut talis, sed essentia, ut est in ipsa, tamen essentia, quae in singulis personis est, non alia est quam essentia ut talis. Sed si agitur de distinctione personarum divinarum ab invicem, non comparatur

essentia divina, ut est in aliqua persona cum essentia ut tali, sed cum essentia, ut est in duabus aliis personis. Essentia autem in nulla persona eodem modo est atque in duabus aliis. Hinc, ut est in una aliqua persona, realiter distinguitur a se ipsa, ut est in duabus aliis, non quidem ratione essentiae quae eadem est, sed ratione modi habendi eam seu ut est persona et solummodo, ut est persona. Eadem aqua a se ipsa realiter distingui non potest. Hinc si eadem aqua modo est fluida, modo glacies, neque aqua fluida neque glacies ab aqua realiter distinguuntur. Nihilominus independenter a mentis consideratione aqua fluida non est glacies.

Et sic aliis exemplis probari posset minime esse principium evidens aliqua non posse ab invicem maiore distinctione differre quam differunt ab uno et eodem.

Ex dictis sequitur, si personas divinas per naturam divinam exprimere volumus, quod sine dubio possumus, quia quaelibet trium personarum est illa essentia, nos non debere dicere unamquamque personam esse simpliciter naturam divinam; nam simpliciter non est essentia divina, nisi ut est in ipsa. Propterea Concilium distinguit inter essentiam et personam, cum dicit illam rem, i. e. essentiam divinam neque generare neque generari nec procedere, sed esse Patrem qui generat et Filium qui gignitur et Spiritum Sanctum qui procedit. Quia nihil simpliciter identificatur nisi secum ipso, propterea neque personae divinae simpliciter identificantur nisi secum ipsis et propterea simpliciter non identificantur cum natura divina, ut tali, sed solum cum natura divina, ut tribus diversis modis est in ipsis. Cum autem tres illi modi ab invicem realiter distinguantur, etiam personae divinae quarum sunt, ratione eorum ab invicem realiter distinguuntur.

His consideratis dicendum est mysterium Trinitatis nullo modo contradicere principio identitatis comparatae vel esse exceptionem ab eo, dummodo principium sic applicetur, ut in omni casu applicandum est, i. e. ut comparatio fiat cum aliquo quod stricte unum et idem est et ut non affirmetur inter ea quae cum eo comparantur maior identitas quam quae est cum uno et eodem. Quia autem personae divinae cum una et eadem essentia divina ut tali non identificantur simpliciter, cum simpliciter non identificentur nisi cum essentia, ut est in ipsis, hinc neque inter se ipsas simpliciter identificari dicendae sunt. Concilium secundum revelationem docet quidem personas divinas esse eandem essentiam divinam, sed minime esse eam simpliciter, immo hoc excludit, quia essentiam a personis aliquo modo distinguit. Personae divinae idem sunt secundum id quod sunt. Id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino. Sed id quod sunt, tribus diversis modis sunt.

Quod haec ita sint, cum eo cohaeret, quod essentia divina necessario tripersonalis est, sed eo ipso quod existit, non tres personae divinae est, sed una tantum. Hinc necessitas, ut cum secunda et tertia communicetur. Duabus autem communicationibus naturae divinae non solum explicatur, cur omnes tres personae eandem omnino habeant naturam, sed etiam cur sint tres et quomodo ab invicem distinguantur. His enim duabus communicationibus fit, ut eadem natura divina existat duobus aliis modis quam est in Patre et sic non tantum uno modo incommunicabilis est, sed tribus modis diversis. Substantia autem singularis completa rationalis naturae quae modo incommunicabili existit, existit ut persona; et si tribus diversis modis existit, existit etiam ut tres personae, quae ab invicem non quidem natura sua, quae communis est, sed diversis modis eam habendi realiter distinguuntur.

Admissis duabus communicationibus naturae divinae, quae pro nobis inscrutabili mysterium sunt, nullo modo quaestio insolubilis est, quomodo cum unitate naturae divinae simul consistere possit trinitas personarum, sed simul consistere etiam intellegitur. Quod nullo modo intellegere possumus, est, quomodo Pater naturam quam non solum ipse habet et etiam sibi retinet, sed quae etiam est, tamen integram et sine ulla diminutione communicare possit cum Filio, ita ut Filius habeat eandem omnino naturam atque habet Pater et quomodo similiter Pater et Filius naturam suam quam etiam retinent et sunt, ita communicent cum Spiritu Sancto, ut etiam ille eandem naturam habeat atque Pater et Filius. Sed duplex haec communicatio naturae divinae non eo impugnari potest, quod vi principii identitatis ex identitate personarum divinarum cum eadem natura divina sequatur naturam divinam non minus incommunicabilem esse quam incommunicabiles sunt personae. Sunt personae divinae eadem cum essentia divina secundum realitatem suam, sed non simpliciter.

Ex dictis etiam soluta manet difficultas quae ex ipso Concilio contra trinitatem personarum divinarum oriri videbatur. Nam licet quaelibet trium personarum sit natura divina et natura divina sit tres personae, tamen nulla persona est simpliciter natura divina neque natura divina est simpliciter tres personae divinae. Ex proposita difficultate tunc tantum sequeretur quamlibet personam esse quamlibet aliam, si quaelibet persona cum essentia divina simpliciter esset eadem; nam tunc aequivalenter diceretur quamlibet personam esse illam unam personam (essentiam divinam) quae simul esset tres personae. Sed Concilium contrarium docet. In quantum essentia divina est tres personae divinae, nulla persona simpliciter cum ea eadem est; eo autem modo

quo persona divina est simpliciter essentia divina, essentia est incommunicabilis neque est tres personae.

Eodem fere modo etiam solvitur difficultas ex principio identitatis comparatae contra trinitatem personarum divinarum petita. Difficultas sic proponi potest: Quae sunt eadem uni et eidem sunt eadem etiam inter se. Sed personae divinae sunt eadem uni et eidem essentiae divinae. Ergo sunt etiam eadem inter se seu non sunt tres. Ad propositionem maiorem dicendum est: Quae sunt eadem uni et eidem secundum realitatem suam, sed non simpliciter esse etiam inter se eadem secundum realitatem, sed non simpliciter et ad minorem negandum est personas divinas esse simpliciter easdem uni et eidem essentiae. Sunt personae divinae eadem uni et eidem essentiae divinae secundum realitatem et sic etiam inter se eadem sunt secundum realitatem seu id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino; id ita sunt duabus communicationibus naturae divinae. Sed ex iisdem duabus communicationibus naturae divinae etiam sequitur existere essentiam divinam tribus diversis modis incommunicabilibus seu esse tres personas ab invicem realiter distinctas.

Ut evitentur difficultates quas aliqui in applicatione principii identitatis ad mysterium ss. Trinitatis passi sunt, haec prae oculis habenda sunt.

1. Distinguendum est inter identitatem quae simpliciter talis est et identitatem quae non simpliciter talis est, sed ex. gr. identitas secundum realitatem tantum. Ex ipso mysterio trium personarum quae sunt una eademque natura divina et ex doctrina Concilii Lat. IV sequitur personam divinam et essentiam divinam non esse simpliciter unum et idem.

2. Distinguendum est inter essentiam divinam ut talem et essentiam eandem, ut est in singulis personis. Essentia ut talis est omnino absoluta, essentia, ut est in singulis personis, e contra est relativa. Essentia ut talis non existit. Non existunt nisi tres personae seu essentia, ut est in tribus personis. Secundum Concilium in Deo solummodo trinitas est, i.e. trinitas personarum, non quaternitas, i.e. tres personae et communis essentia, quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina. Sed quaelibet persona est illa res non simpliciter, sed modo aliquo sibi exclusive proprio. Hinc essentia ut talis ab essentia, ut est in singulis personis, distinguenda est. Propterea dicit Concilium: «Et illa res non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis et unitas in natura.»

Si negatur naturam divinam ut talem existere, non negatur eam omnino existere. Sine dubio existit, cum una summa quaedam res sit, i.e. substantia, essentia seu natura divina, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sed summa illa res non existit ut talis extra personas divinas et ita, ut non sit nisi natura, sed non existit nisi ut natura trium personarum divinarum seu ut tres personae divinae seu ut est in personis divinis. Quomodo autem Pater generando Filium possit cum eo communicare naturam suam, non ut eam habet, quod est impossibile, sed naturam quam habet et retinet, est absolutum mysterium.

Distinctione facta inter naturam ut talem et naturam, ut est in singulis personis, facile solvitur difficultas quae sic proposita est: Haec divinitas est Pater et haec divinitas est Filius. Ergo Filius est Pater; vel in hac forma: Pater est essentia divina singularis et unica et Filius est etiam essentia divina singularis et unica. Ergo Pater est Filius.

Quoad rem hae difficultates non aliae sunt quam ea quam ex ipso Concilio oriri posse diximus et eodem etiam modo solvuntur distinctione facta inter essentiam ut talem et essentiam, ut est in Patre aut in Filio. Divinitas non est Pater simpliciter, nisi prout est in Patre. Sic autem est incommunicabilis et propterea sic non est Filius. Ergo nullo modo sequitur Patrem esse Filium. Essentia quae est in Patre est etiam in Filio et sic Pater et Filius secundum realitatem non distinguuntur, quia realitas personae divinae non est alia nisi realitas essentiae divinae et sic id quod est Pater est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino. Sed licet essentia haec sit singularis et unica, tamen ut talis non est persona, quia sic non esset nisi una persona, sicut non est nisi una essentia. Nequit aliqua substantia persona esse nisi sit singularis; sed non omnis substantia singularis est etiam persona, ut notum est et evidenter ex mysterio incarnationis sequitur. Neque si haec substantia est unica, propterea est persona, sed persona est, si ita in se et ad se est, ut sit sui ipsius tantum seu ut sit incommunicabilis. Essentia autem divina, licet sit singularis et unica, ut talis non est incommunicabilis neque est sui ipsius, sed est trium personarum divinarum.

3. Relationes personarum divinarum non dicendae sunt eadem esse cum essentia ut tali, sed cum personis divinis quarum sunt seu cum essentia, ut est in personis divinis. Si relationes personarum divinarum eadem essent cum essentia ut tali, quaelibet relatio esset etiam relatio cuiuslibet personae et sic personae divinae iis ab invicem distinguere non possent. Pater communicando essentiam suam cum Filio com-

municaret cum eo etiam relationem principii quam ipse habet ad Filium, ita ut Filius esset principium sui ipsius.

4. Neque cum personis seu cum essentia, ut est in personis, relationes personarum divinarum dicendae sunt eadem esse simpliciter neque relationes dicendae sunt esse personae. Nam quaelibet persona secundum Concilium Lat. IV est substantia; substantia autem non est simpliciter relatio. Relatio nihil aliud est nisi habitudo unius ad aliud, substantia autem est aliquid quod in se et ad se est. Et hoc est ita etiam, quando substantia relativa est. Nam omnis essentia quae relative dicitur, ut ait S. Augustinus (*de Trin.* l. 7 c. 1 n. 2; PL 42, 935) est etiam aliquid excepto relativo.

5. Relationes non nimis in abstracto considerandae sunt, sed in concreto ut relationes principii et procedentis a principio. Qui relationem Patris in concreto ut relationem principii considerat, nullo modo opinari potest hanc relationem esse etiam in Filio, etsi non ut constituentem, sed tamen ut perficientem. Nam tunc diceret, si relationes secundum suum fundamentum consideramus, naturam divinam, ut est in Patre tamquam communicanda cum Filio, esse etiam in Filio ut communicandam cum Filio a Filio.

6. In solvendis difficultatibus quae ex unitate essentiae divinae et trinitati personarum divinarum oriri videntur, non solum considerandae sunt essentia divina et personae divinae, etsi relationibus suis distinctae, sed etiam considerandae sunt duae communicationes naturae divinae quae sunt proxima ratio ontologica, cur omnino sint tres personae divinae et cur sint eae relationes quibus ab invicem realiter distinguuntur. Nam licet ultima ratio ontologica, cur sint tres personae divinae sit ipsa natura divina, tamen haec proxima ratio esse non potest, quia unum et idem non est ratio distinctionis. Est autem natura divina ultima ratio ontologica, cur sint tres personae, quia tri-personalis est, natura autem secundae et tertiae personae esse non potest, nisi cum iis communicetur. Propterea prima persona quae est a se seu a nullo eam non habet exclusive pro se, sed habet eam ut communicandam duabus communicationibus cum Filio et Spiritu Sancto. Et ratione harum communicationum sunt etiam relationes quibus personae divinae ab invicem distinguuntur.

IOHANNES RABENECK, S. I.
e Facultate Theologica Oniensi